



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio II. De Divisione in Actum imperantem & imperatum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

QUÆSTIO II.

De Divisione in Actum imperantem & imperatum?

Non pauca hic discutienda essent, quæ aliàs in Ethicis & Animastica tractata sunt. Ut, an actus imperatus sit liber? Quis influxus actus imperantis in imperatum? sed illis missis aliqua hic attingenda.

DIFFICULTAS I.

An Actus supernaturalis possit imperari ab Actu malo?

Posset quidem universaliter quæri: An actus malus possit imperare actum bonum? quia tamen aliqui cum Hurt. d. 135. de Fide §. 41. censent actum bonum naturalem, vitari posse ex fine extrinseco, & imperari à malo, non tamen actum supernaturalem; unde esset argumentatio à majori ad minus: Si actus supernaturalis potest imperari à malo actu, poterit & naturalis. Hoc ut decidatur

DICENDUM est. Actum bonum supernaturalem posse imperari ab actu malo, est Conclusio Cajet. ex nostris eam docent Ripalda de ente supernaturali d. 50. Oviedo Tr. 4. contr. 7. n. 4. Arriagad. 18. n. 2. Salaz. Granado, Lugo de Pœnit. d. 15. §. 4. contra Suar. Vasq. Valent. Tannerum, & contra Koning qui mediam viam init.

PROBATUR AUCTORITATE.

1. AUCTORITAS est S. Thom. Quæst. 2. de malo c. 4. ad 2. Ubi expresse docet, contingit tamen actui, secundum se bono, adjungi aliquem actum malum, secundum aliquem ordinem, & secundum actum malum, bonus dicitur aliquando malificari: non quod in seipso sit malus: sicut dare eleemosynam pauperi, vel diligere Deum, est actus secundum se bonus; sed referre actum hujusmodi ad finem aliquem inordinatum, scil. cupiditatis aut inanis gloriæ; est quidem alius actus malus.

2. AUCTORITAS est PP. quos adfert Ripalda cit. S. 4. ex quibus universaliter colligitur, monere eosdem, ne actus bonos mala intentione faciamus. Unde supponunt hoc ipso fieri posse illos tali intentione. Quæ verba PP. cum non loquantur de solis actionibus externis; accipi possunt ut sonant, adeoque universaliter cum extensione etiam ad actus internos. Ita loquitur Aug. in pl. 120. explicans illa verba: Super manum dexteræ suæ: Si propter vitam æternam opereris; dextera sola operatur: Si autem habet intentionem ad vitam æternam, sed subrepsit tibi cupiditas vite temporalis, ut attendas etiam ista quando facis opus bonum, ut sic tibi aliquid retribuatur;

duram operis externi, decentis vel non decentis rationale principium, & ita mala omnino & quidem mala primario est voluntas homicidii, sed ipsa laniena corporis humani, effusio sanguinis, creptio vitæ violenta, dicit etiam in se turpitudinem & inhonestatem, constituitque heterogeneæ, ut loquitur Ripalda demeritum: hoc est, non ut pars homogenea, in qua seorsim ab aliis sit demeritum, sed quæ simul cum aliis, faciat demeritum.

DICENDUM est. Quod actio externa licet non adferat nec augeat primitivam malitiam vel inhonestatem, hac enim ut dixi, stat in ipso libertatis usu qui internus est, adfert tamen & augeat malitiam, vel inhonestatem derivatam derivatione explicata.

PROBATUR 1. Conclusio consensu etiam oppositorum, qui admittunt etiam derivatam inhonestatem, licet forte non ita eam explicant.

PROBATUR 2. à Definitione: Derivata honestas vel inhonestas actionis externæ, est disconvenientia vel convenientia ad naturam intelligentiam actionis externæ, procedens ex suppositione boni vel mali usus libertatis. Sed datur talis convenientia vel disconvenientia actionis externæ ut dictum sup. Ergo datur inhonestas derivata. Et certe detestationem & horrorem rationabilem experimur in nobis, non solum actionis internæ homicidii, sed etiam externæ, sine iure patrata.

PROBATUR 3. Non habet se actio externa sicut merus effectus, qui sequitur. Unde etiam oppositi docent, quod effectus, non sit necessarius subijciendus confessioni, subijcienda actio externa; & tamen tam actio externa quam effectus dicunt etiam conjunctionem cum malitia interna tanquam cum suo principio: Ergo apparet, quod non ex hac conjunctione, sed insuper ex continentia malitiæ licet derivata in ipsa actione externa, oriatur hæc obligatio.

Videtur tamen superesse hæc difficultas, quod scil. improbabile sit, ut si aliquis velit dicere coronam & non possit, impeditus ab alio vel ab ægritudine; non habeat æquale meritum cum illo qui dicit: quia illi expeditum est dicere. Et quidem quod ad voluntatem illius attinet; uterque habet meritum: sed non apparet etiam iustum, ut negatio actionis & positio, saltem derivatam honestatem habentis, æquale habeat premium. Et sicut oppositi docent, quod in exercitio actionis externæ, augeatur meritum per accidens, propter repetitionem actuum; ita & hic augebitur meritum, per actionem honestam derivatam. Cæterum dolor ille & alii affectus quos habet aliquis, quod actionem externam meritoriam non ponit expedit; supplet defectum actionis externæ, pertinetque ad providentiam Divinam æquare illos duos. Sed si per aliquem staret, ne ponatur actum externum; indubie minus merebitur.

zur; miscet se sinistra operibus dextra: Hoc vetat Deus. Similia habet Basil. in Constit. Monast. c. II.

3. AUCTORITAS est S. Scripturæ; Matth. 6. dicitur; Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus &c. esse autem hic rem principaliter de actibus internis suadet Lyranus. Deinde quia Sanctitas morum in operibus internis consistit: unde de illis debuit esse sollicitus Christus.

PROBATUR 2. Rationibus Auctorum.

RATIO 1. est ex Ripalda n. 15. Actus elicitus absque fine honesto sibi debito non est simpliciter bonus. Sed actus supernaturalis potest fieri absque fine sibi debito: quod ipsum probatur: quia potest Deus imponere homini præceptum, ut nullum actum supernaturalem eliciat, quin eum dirigat in finem charitatis: quæ enim in hoc repugnantia? Sed tunc poterit homo elicere actum fidei supernaturalem, non eliciendo illum propter illum finem? Ergo. Jam autem violari illud præceptum non potest, quin re verâ ponatur actus supernaturalis absque fine charitatis: de tali enim actione procedit præceptum.

RESPONDET 1. Hurt. apud Oviedo, n. 28. Actum illum manere absque illa malitiæ mixtura: quia tota malitia resideret in omissione directionis, ex qua in actum dirigendum non refundetur.

CONTRA est. Quidquid sit de hac questione: An ille actus sit futurus malus: restat difficultas: Cur actus ille supernaturalis, non possit imperari ex directione, quæ non sit charitatis, quæ directio erit mala. Unde sic procedit Ratio. Vel potest tale præceptum, de quo Rip. poni à Deo, vel non potest? Si non potest, cur si potest, illud præceptum jam positum vel potest violari, vel non potest? Si non potest, cur jamque otiosum esset illud imperium. Si quidem ante omnem prohibitionem inviolabile esset. Si autem est violabile, vel est violabile per actum fidei naturalis, vel per actum fidei supernaturalis. Si primum: Ergo præceptum non violatur: quia illud procedebat de actu supernaturalis fidei. Si autem sit supernaturalis. Ergo ille potest imperari intentione malâ, quod intendebatur.

RESPONDERI potest 2. ex Oviedo: Malitia primario est in ipsa omissione dilectionis; cujus malitia, non potest derivari in ipsum actum fidei: quia ommissio directionis, non est causa neque effectus fidei. Ergo in illam non potest derivare suam malitiam: quia hæc derivatio non nisi ex influxu derivantis & derivati procedit.

CONTRA est. Tum quia transeat, quod ommissio directionis, in ratione omissionis spectata, non sit causa illius actus: est tamen causa, intentio alius finis, quam charitatis, quæ intentio, cur non potest imperare actum supernaturalem? etsi illum imperat; hoc ipso fit actus su-

pernaturalis malâ intentione. Tum quia, quamvis ommissio directionis non sit causa actus fidei, importare tamen potest voluntatem disobediendi, quæ voluntas disobediendi, non potest impleri, nisi positione actus supernaturalis, nec tamen directi, in finem charitatis. Tum, quia non datur, ulla ommissio pura libera, de quo aliâs. Si autem illa ommissio stat in exercitio actus voluntatis, cur illud exercitium non poterit esse imperativum actus supernaturalis?

RATIO 2. communis est, quia voluntas, quando existit cum omnibus requisitis proximè parata ad actum supernaturalem misericordiarum, potest affectu absoluto vanæ gloriæ velle homo existentiam illius. Nam intentio vanæ gloriæ, & actus misericordiarum, non respiciunt objecta contradictoria: & ex alia parte actus misericordiarum potest conducere ad objectum sive intentionem vanæ gloriæ; actus autem conducentis ad finem, & non continens objectum contradicens fini, expecti potest à voluntate ex intentione finis. Sed tunc fit actus bonus ex intentione mala: quia fit actus misericordiarum ex intentione vanæ gloriæ. Ergo.

RESPONDET 1. aliqui ap. Ripaldam: quod actus misericordiarum conducatur ad obtinendam gloriam, sed non est capax, ut fiat & producatur ex intentione vanæ gloriæ:

CONTRA est: Tum quia arbitrariè assumitur, quod talis actus non sit capax fieri talis intentione. Tum quia, quando ego volo facere actum bonum, v. g. & ex prior me illum velle facere hac intentione, nullaque alia; arbitrium esset dicere, illum non fieri hac intentione. Tum, quia concedo quidem aliquos actus non posse fieri intentione aliqua, v. g. volo detestari omnem vanam gloriam, & habere propterea vanam gloriam, quia hoc est contradictorium: scil. nihil velle gloriæ vanæ, & aliquid velle gloriæ vanæ. Sed tales termini in præsentem non inveniuntur. Imò etiam vanæ gloriæ detestatio, ex speciali motivo potest fieri, cum intentione vanæ gloriæ. Nam potest aliquis detestari vanam gloriam in materia bonorum temporalium, ut habeat vanam gloriam sanctitatis.

RESPONDETUR 2. Quod posita illâ intentione malâ, non detur influxus ullus illius in actionem bonam ex eo: quia Deus non exhibet suum concursum in actum supernaturalem imperatum intentione malâ. Sicut non exhibet suum concursum, ut habitus fidei concurrat ad objectum falsum.

CONTRA est, quia hoc asserere est arbitrarium: neque enim de hoc vel per rationem, vel per Auctoritatem constat: de fidei habitu dispar est ratio: quia ille habitus est essentialiter & definitivè certissimorum, non esset autem habitus certissimorum, si circa objectum falsum procederet. Nulla autem pars definitiva actus supernaturalis, importat exclusionem imperii mali. Rursus, experitur homo

homomoveri se ex illa intentione mala, cur ergo Deus ex sua parte, subducet concursum suum tanquam causa prima supernaturalis? Cum aliunde nihil obstat. Deinde urget Ripalda: Inintelligibile est, voluntatem moveri efficaciam actus imperantis, ad actum supernaturalem imperatum, quin actus imperans, exerceat causalitatem in actum imperatum, cum illa causalitas stet in movendo & determinando. Ergo apparet, quod tunc exerceatur actus ex motione & causalitate actus imperantis: & sicut Deus confert concursum suum ad consecrationem hostie imperatam mala intentione, ita conferet & ad actum supernaturalem.

Tum quia, sit obligatio ponendi aliquem actum supernaturalem; in tali circumstantia Deus dat gratiam vi sui promissi, & si non daret, non essemus securi, Deum in opere salutis facere quantum est ex illo, & non denegare gratiam: cum tamen id importent locutiones PP. Porro in circumstantia talis obligationis, cur non poterit se jungere vana gloria, & tamen cum suppositione gratiae collata? Tum quia, ponamus aliquem esse in articulo obligationis resistendi gravissimae tentationi, idque sub mortalitate: jungatur tunc illi appetitus veniabilis vanae gloriae, per te non conferetur illi gratia supernaturalis. Ergo cadet: Quia sine gratia supernaturali gravissimae tentationi resisti non potest. Quapropter, in illo casu peccabitne mortaliter vel non? si non peccabit? Ergo erit tunc voluntarius consensus, gravissimae tentationi & ad resistendum graviter obliganti, sine ullo peccato? Si peccabit? Ergo peccabit, & tamen non potuit non peccare, siquidem non habuit vires non peccandi, non enim data est illi gratia supernaturalis, miscebatur enim vana gloria. Tum, quia in tali circumstantia vel non datur etiam gratia sufficiens? & obstat doctrina Theologicae in hac materia, vel tantum non dabitur efficax, & quaeritur cur non?

RESPONDETUR 3. Implicare, ut actus supernaturalis referatur in finem vanae gloriae, quia haec non habetur, nisi ratione actuum externorum.

CONTRA est. Nego, quod vana gloria, non possit intendi, ratione actuum internorum in causam, quo saltem miraculose noscantur. Rursus etiam actiones externae merentur gloriam apud homines, non nisi ex supposita connexion cum interioribus, & in materiis Christianae vitae, ex suppositione actuum supernaturalium. Ergo si actus exteriores possunt imperari à voluntate mala, poterunt imperari saltem indirecte, etiam supernaturales interni. Deinde nulla est in hoc repugnantia, ut sit Angelus vanae gloriae capax etiam habendae ab aliis: pone ergo illum velle hanc vanam gloriam, cur tunc non poterit imperare sibi actionem internam? quam solam manifestet alteri, modo suae locu-

tionis, non autem faciendo Actum externum. Quod autem dicitur, intervenire tunc duas volitiones, quandam bonam imperantem etiam actum internum bonum, & quandam malam, imperantem actum externum.

CONTRA est. Quia hoc ipsum arbitrarie dicitur. Rursus, cum eos actus, quos sigillatim possumus facere, possumus etiam uno actu complecti: & ita genus & differentia, quae alias noscuntur distincto actu, possunt à nobis attingi uno actu indivisibili; cur ergo etiam illas duas actiones, non posset unus actus complecti, ut ei respondeat tota illa actio interna supernaturalis? Tum, quia connoti potest homo, ut non nisi mala intentione ponat dolorem, confessionem &c. cur ergo affingeretur illi tunc alia intentio bona, quam ille in se non experitur?

3. RATIO est, quae utitur Oviedo cit. n. 5. Motiva actus imperantis & imperati sunt inter se distincta, distinctos efficientia actus: Ergo inter se non sunt impossibilia: sicut non sunt impossibiles duo actus in eadem voluntate, quorum unus respiciat pravam obiectum, à quo malitiam trahat, & alius obiectum honestum. Ergo idem dici poterit de imperio malo, & de actu imperato supernaturali bono.

PROBATUR 3. Conclusio Argumento negativo, scilicet quia id non implicat contradictionem.

DIFFICULTAS II.

Solvuntur Argumenta in oppositum.

OBJICITUR 1. Actus fidei non potest imperari à voluntate mala. Ergo nec actus supernaturalis v.g. amoris vel spei.

RESPONDETUR 1. Arriaga, disparitatem assignando: quia amor non pendet ab ullo pravo imperio: hinc bene poterit ex supererogatione impelli voluntas ad illum, à naturali actu, & consequenter etiam à malo. At actus fidei petit necessario determinativum, & cum in se sit valde perfectus & supernaturalis; exigit etiam proportionatum determinativum sibi & sui. Ergo supernaturale.

RESPONDETUR 2. Appetitus vanae gloriae ex actu fidei, potest in primis considerari secundum quod non importat etiam virtuale imperium intellectui, ut assentiat obiecto inveniendi, sic sumpta vana gloria, non potest esse influxiva ad positionem actus fidei: quia adhuc tunc responderet intellectus, ego non possum assentiri liberè: quia non sum liber: non etiam possum assentiri actu necessario: quia ego non assentior nisi rebus certis & evidentibus, quantum est ex me, mihi autem obiectum revelatum, non est evidens: ex alia parte non inclinor à voluntate imperante hoc mihi: & sicut, si appetitus vanae gloriae imperaret actum volandi homini; diceret potentia executiva, non possum:

quia non habeo requisita ad volandum, quæ executioni applicare possim; nec vana gloria, potest efficaciter imperare illum volatum; ita & in præfenti efficaciter non imperabit actum fidei, cum præcisè attendat ad solam excellentiam vanam, ad imperium non accedendo, quale alias requiritur. Quod si illa vana gloria, sit simul imperium virtuale imperans intellectui, ut etiam objecto inevidenti assentiatur, nihilominus præcisè, ex vi imperii talis, non prohibet actus fidei supernaturalis: quia per Patres requiritur voluntas credendi, sicut oportet ad salutem, & voluntas credendi, quæ est donum Dei, quibus & similibus phrasibus ostendunt, antecedere debere indispensabiliter, pro præfenti ordine, actum voluntatis supernaturalem. Hinc si ille non ponatur, non ponetur actus supernaturalis fidei. Secus fit in aliis materiis, quia PP. sentiunt ex vana gloria posse nos moveri ad bona opera, sine addito: bonorum autem operum nomine sine addito, veniunt operationes supernaturales, salvâ exceptione actus fidei, quam faciunt iidem PP. Quamvis autem supra dixerimus non intervenire duplicem voluntatem in positione actuum supernaturalium; id intelligendum est salvis exceptionibus: præcipuè cum etiam experientia ostendat, præter appetitum vanæ gloriæ, dari imperium credendi.

OBJICIT 2. Suarez. Motivum actus mali est valde imperfectum. Ergo non sufficit ad excitandam voluntatem pro actu bono & supernaturali in se perfectissimo.

RESPONDET Arriaga, hoc argumento falsitatem non probari, quod actus bonus naturalis, qui non est perfectissimus non possit imperari à malo.

Alio ex principio satisfit, quod tunc solum motivum imperfectius, non possit ponere actum perfectiorem longè, quando illud motivum, est necessariò requisitum, & aliunde non supplebile: ad actus autem supernaturales, non requiritur illud motivum antecedens vanæ gloriæ: & determinatio illius actus ad esse, potest haberi ex ipso motivo, ut ita dicam, intrinseco actui. Quamquam videmus etiam causas ignobiliorens æquivocas, concurrere ad nobiliorem in ratione entis effectum, & instrumentum ferreum, procudere annulos aureos.

OBJICIT 3. Repugnat sanctitati Dei ad actum supernaturalem ex hac intentione concurrere.

RESPONDETUR. Sicut sanctitas Dei non vetat, quod minus Deus, ut causa prima naturalis, ad ipsam pravam intentionem concurrat; ita nec vetabit, ut in ordine supernaturalis ad talem actum concurrat.

INSTABIS 1. Quamvis Deus habeat jus & dominium vitæ & mortis, possitque vitam auferre Petro, tamen non potest eam auferre, si id

ab eo petam malâ intentione. Ergo neque concurrere potest ad actum supernaturalem malâ intentione faciendum.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia in priori casu Deus esset causa specialis & particularis ipsam illam occisionem per se ponendo, vel ejus medium per se applicando; in casu autem consequentis, Deus se haberet ut causa prima supernaturalis, non denegans suum concursum. Rursum, duo illic interveniunt actus: in prius intentio mala; ad hanc non concurrat Deus supernaturali concursu: secundò intervenit actus supernaturalis, ad quem concurrat quidem Deus tanquam Auctor supernaturalium; sed ille actus retinet in se totam bonitatem intrinsecam. Jam autem, si Deus ad instantiam illius odii occideret Petrum; & odium, & instantia, & occisio, secundum has circumstantias esset mala, Deusque cooperaretur malo: cooperando autem actui supernaturali, non cooperatur malo. Quod ulterius in hoc resolvitur, quia motivum intrinsecum illius occisionis, esset malum, nempe odium petentis: motivum autem intrinsecum actus amoris Dei, imperati à vana gloria, esset bonum, nempe bonitas Dei.

INSTABIS 2. Actum illum supernaturalem detestatur Deus, propter illud imperium voluntatis, licet non detestetur propter illummet ipsum: ad eum modum, quo actum externum non detestatur Deus propter illummet ipsum, sed propter malitiam internam.

RESPONDETUR, quod illa detestatio compatitur amorem illius actus in se. Unde detestabitur illum Deus in quantum dicit relationem ad vanam gloriam; non detestabitur autem in quantum est à principio supernaturali & ex motivo intrinseco bono: quod motivum in hoc actu, habet rationem principalis.

INSTABIS 3. Ex iis, quæ sibi opponit Ripalda cit. n. 2. Actus supernaturalis non potest fieri sine gratia per Christum, actus autem vitiosus non potest fieri auxilio gratiæ per Christum, quia Christus non est mortuus, ut operaremur vitiosè.

RESPONDETUR. Actum vitiosum extrinsecè, intrinsecè autem bonum, posse fieri auxilio gratiæ per Christum: quia illud auxilium non nisi actum illum supernaturalem causaret. Unde negatur illum actum in se esse malum, adeoque non esse talem, ut melius fuerit illo carere, sed sola illa intentio est mala. Addit Ripalda. Melius fuisset damnato non habuisse auxilium sufficiens quam habuisse, & reddidisse non operans, & tamen etiam illud, habet rationem doni. Sic & actus ille in se spectatus, habebit rationem doni, licet melius fuisset, non habuisse talem intentionem.

OBJICITUR 4. Non potest fieri id, quod ponit Conclusio, idque ex natura & conditione ipsiusmet virtutis: quia per August. Virtus est bona

bona qualitas mentis quae nemo male utitur. Quando autem fit actus virtutis supernaturalis sed malo fine, male tunc utimur virtute.

RESPONDETUR. Cum nonnisi extrinsecè ille actus sit futurus malus, & intrinsecè bonus; nec dum virtute quisquam male utetur. Unde admittimus duplex motivum, extrinsecum in ipsa scilicet vana gloria inclusum, & motivum intrinsecum formalis v. g. amorem, dicimusque: Si sit motivum intrinsecum bonum, hoc est motivum, sine quo impossibile est poni illum actum; & ipse actus, erit bonus.

INSTABIS I. Bonum est ex integra causa, malum verò ex quocunque defectu. Ergo ille actus erit simpliciter malus.

RESPONDETUR. Bonum esse ex integra causa quoad prædicata intrinseca actus, licet quoad extrinseca sit aliquis defectus. Neque valet si dicas, quod sit extrinseca actui prohibitio, tempus, & similia, & tamen hæc omnia vitiant actum. Ergo idem dicendum de illa mala intentione. Nam sunt quidem hæc extrinseca actui physice, sed non extrinseca moraliter, non enim est extrinsecum actui malo, fieri contra prohibitionem, quæ etiam prohibitio formalis malitiam. Actio autem virtuosa supernaturalis intrinsecè non est mala, quamvis sit dissonum imperium, quod illam imperat, quod imperium non formalisat illam intrinsecè.

INSTABIS 2. Actio quæ essentialiter pendet à mala intentione, non potest esse bona, ille autem actus supernaturalis essentialiter pendet à mala intentione.

RESPONDETUR. Majorem esse veram de actionibus, quæ insuper in se non dicunt motivum intrinsecum bonum. Ad Min. dici potest, quod per accidens sit illud imperium, & nonnisi actui reduplicativè accepto essentielle.

INSTABIS 3. Circumstantia finis est potissima in objecto. Ergo cum fine malo, non potest esse objectum bonum.

RESPONDETUR. Finem & motivum intrinsecum, esse circumstantiam potissimam in objecto, non autem finem extrinsecum. Amor autem v. g. Dei, habet aliud motivum intrinsecum, & non vanam gloriam.

OBJICITUR 5. à pari.

I. PARITAS est: Actus exterior imperatus est malus malitiâ imperantis mali. Ergo & actus ille supernaturalis, erit malus malitiâ imperantis. Ergo cum non possit esse malus actus supernaturalis, non poterit imperari ab actu malo.

RESPONDETUR. Cum non habeat actus exterior propriam suam bonitatem, debet denominari malus, vel bonus nonnisi ab interno imperante. Hinc si imperans sit malus, etiam derivabit malitiam in externum. Cum autem internus actus, habeat malitiam & bonitatem propriam, sicut & propriam libertatem; pote-

rit in conditionem boni vel mali per sua intrinseca transire.

2. PARITAS est. Actus bonus non potest imperare malum. Ergo nec malus bonum.

RESPONDETUR. Si actus bonus imperaret malum, esset bonus, ut supponitur: non esset autem, quia actus cuius objectum est malum, quod prosequitur voluntas; & ipse est malus: potest autem actus malus habere objectum bonum, esse tamen malus, eo quod non debito modo illud bonum appetatur. De actu autem habente simul motivum bonum & malum infra dicetur. Fufius de hac objectionem tractat Arriaga n. 23.

3. PARITAS est, ab effectu malo causa vocatur mala. Ergo & è contra à causa mala, denominabitur effectus simpliciter malus.

RESPONDET Arriaga, disparitatem esse: quia causare malum, est simpliciter malum, ponitq; illa causa malitiam, etiam in effectu, qui postea etiam denominat suam causam malam: jam autem causare bonum, non est quid malum: hinc illud bonum, non refundet malitiam.

QUÆSTIO III.

De Divisione in Actum indifferentem bonum vel malum essentialiter, aut accidentaliter.

Ordo inferius ponendorum titulorum sequetur ordinem jam factum.

DIFFICULTAS I.

An dentur Actus indifferentes.

Nomine actuum indifferentium per PP. antiquos veniunt opera, quæ nec sunt meritoria, nec demeritoria, adeoque naturalia. Et ita Hieron. epist. 19. ad August. cum numerasset aliqua opera naturalia; subdit: *Hoc nec bonum, nec malum est, si ve enim feceris, si ve non feceris; nec iniustitiam habebis, nec iustitiam.* In præsentia non est de hoc ulla quæstio. Sed procedit de hoc: An dentur in specie, & individuo indifferentes actus? Nomine autem in specie indifferentium actuum veniunt actus, qui versantur circa objectum secundum se, nec bonum, nec malum, ut hanc vocem explicat, Ripalda d. 69. n. 1. Nomine autem actus indifferentis in individuo, venit actus exercitus, qui neque sit bonus neque sit malus. Unde prior actus ad objectum attendit, posterior ad modum versandi, & actus in se spectati conditionem.

Non est dubium dari actus indifferentes in specie, estque communis Theologorum cum S. Th. 1. secundæ q. 18. a. 8.

RATIO. Tum, quia actus versantes circa objectum neque bona in se, neque mala in se, sunt actus indifferentes in specie, ita enim definiuntur. Sed dantur actus circa talia objecta: sic enim præscindere mystaces, neque est bonum in se